



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Conciliorm Omnium Generalium Et Provincialium Collectio Regia**

Ab anno DLIII. ad annum DLXXVII.

**Parisiis, 1644**

Concilium Parisiense II. In Domo Ecclesiae, In Causa Saffaraci Episcopi, Childeberto rege euocante celebratum, sub annum Christi DLV. Pelagii papae I. Childeberti eiusdem regis XLIV.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15324**

scitur lædi, nullatenus fieri permittimus. Quicumque post commonitionem sacerdotum, vel nostrum præceptum, sacrilegia ista perpetrare præsumperit, si seruilis persona est, centum ictus flagellorum vt suscipiat iubemus: si vero ingenuus, aut honoratior fortasse persona est, cetera desiderantur.

NOTA IACOBI SIRMONDI  
SOCIETATIS IESV.

<sup>1</sup> *Childeberti regis constitutio.* ] Extat in codice Corbeienfi, sed mutila, folio sub finem exciso, vt quam multa desint conici nequeat. Desunt præterea quædam alia in eo loco quem asterisco signauimus. Quare dum integrum exemplar consequi liceat, hac eius parte fruedum est.

\*\*\*  
\* CONCILIVM <sup>b</sup> PARISENSE <sup>c</sup> II.

IN DOMO ECCLESIAE,

<sup>d</sup> IN CAUSA SAFFARACI EPISCOPI,  
Childeberto rege euocante celebratum, sub annum  
Christi D L V. <sup>e</sup> Pelagii papæ I. Childeberti eiusdem  
regis XLIV.

DECRETVM SYNODI.

**C**VM in urbem Parisius ad inuitationem domini regis gloriosissimi Childeberti venissemus, & in vnum positi, quæ ad ecclesiasticum ordinem, vel fidei catholice auctoritatem pertinent, Christo adiuuante, quæ erant necessaria tractarem; & ex hoc magis pro ordinanda ecclesia memoratae urbis eius nos dignatio iugiter admoneret, vt vnde sacerdotem, sicut defendum est, manifesta siquidem culpa deiecerat, qualiter reparari dominici gregis pastor prouidus debuisset, pontificalis conuenientia declararet. ob hoc in domo ecclesie vnanimiter residentes, gesta, in quibus quondam discussio Saffaraci episcopi habita fuerat, nobis postulauimus recenferi. Quæ per ordinem relegentes, cum venissemus ad locum, vbi eius confessio de crimine tenebatur, quam præsentibus sanctis ac venerabilibus viris episcopis Medouecho, Leubeno, vel Leuba-



ANNO  
CHRISTI  
555.

chario abbate, Hiculfo presbytero, Aeterno archidiacono, nec non & Castricio diacono professus fuerat memoratus quondam episcopus Saffaracus; ipsos denuo interrogantes, suprascripti confessionem nobis denuo ore proprio retulerunt. Quod etiam facinus nec non & episcopus Ardaricus a memorati Saffaraci ore se etiam veridica assertione audisse perdocuit. Et quia tanti ac tales viri, quos interfuisse discussione veridica docet scripta relatio, quaeque reuera dicta vel agnita sunt, gestis teneatur inscriptum sanctorum antistitum & laudabilium virorum, quos studiosissime indagasse ostendit conscripta discussio: tantae eorum discussione vnanimiter praebentes assensum, placere nobis quod eum in monasterio duxerunt, praesentibus etiam decretis vnanimiter profiteamur. Et quia sine dubio culpas eius esse capitales Canonum auctoritate monstratur, vtique confessione propriae linguae deiectioni ipse se fecit obnoxium. Igitur tam apertissima confessione secundum sententiam Canonum, quae de huiusmodi transgressione in Aurelianensi Synodo nuper habita sunt decreta, a metropolitano, cui redigendi actio vel ordinatio de comprouincialibus eius ecclesiae manet, in memorata vrbe scripta seruentur, ac regulariter peragantur; vt disciplinae modus maneat, & qui tanto ordini praesunt, adiuuante Christo, bonae vitae auctoritate viuentes, quem secundum ordinem sacrum possit is ordinare, prouideant, vt nec falsa obiectio culpae maculet innocentes, & illi qui inuiti & comprobati in culpa fuerint, in nulla distinctione habeantur immunes.

Conc. Arelat. V. Can. 12.

SVBSCRIPTIONES EPISCOPORVM.

† Sapaudus in Christi nomine episcopus ecclesiae Arelatensis subscripsi.

Efychius episcopus ecclesiae Viennensis subscripsi.

Nicerius episcopus ecclesiae Treuericae subscripsi.

Probianus episcopus ecclesiae Bituricae subscripsi.

Constitutus episcopus ecclesiae Senonicae subscripsi.

Leontius episcopus ecclesiae Burdigalensis subscripsi.

Sinidius episcopus subscripsi.

Placidus episcopus ecclesiae Matiscensis subscripsi.

Firminus episcopus ecclesiae Vceticae subscripsi.

Concil. Tom. 12.

Xxxij



Agricola episcopus ecclesie Cabilonensis subscripsi.  
 Tetricus episcopus ecclesie Lingonicæ subscripsi.  
 Auolus episcopus subscripsi.  
 Clematius episcopus ecclesie Carpentoratensis subscripsi.  
 Vellesius episcopus ecclesie Vappincensis subscripsi.  
 Lucretius episcopus ecclesie Deensis subscripsi.  
 Aridius episcopus ecclesie Neuernensis subscripsi.  
 Clementinus episcopus ecclesie Aptensis subscripsi.  
 Prætextatus episcopus ecclesie Cauellicæ subscripsi.  
 Agrestius episcopus subscripsi.  
 Medouechus episcopus ecclesie Meldensis subscripsi.  
 Leubinus episcopus ecclesie Carnotensis subscripsi.  
 Expectatus episcopus ecclesie Foroiuliensis subscripsi.  
 Matthæus episcopus ecclesie Arausicæ subscripsi.  
 Tetradius episcopus subscripsi.  
 Vincentius episcopus ecclesie Belicensis subscripsi.  
 Megetius episcopus subscripsi.  
 Syagrius episcopus subscripsi.

ANNO  
CHRISTI  
555

## NOTÆ IACOBI SIRMONDI

## SOCIETATIS IESV.

\* *Circa annum Christi DLV.* ] Præponi debere proximæ Synodo Parisiensi, cui postponi antea solebat, ex eo recte iudicatum est, quod hæc tum habitata sit, cum Parisiis post Saffaraci exauctorationem nondum datus esset nouus episcopus: in altera vero subscribit Germanus episcopus tertius a Saffaraco, cui nempe post Libanium successerat, non, quod alii tradunt, post Eusebium Syrum. Eusebius enim multis post annis, defuncto Ragnemodo Germani successore, cathedram tenuit, vt est apud Gregorium Turonensem lib. 10. cap. 26. Priorem præterea Synodum hanc altera fuisse argumento est, quod in hac subscribat Leubinus episcopus Carnotensis, in altera Caletricus eius successor. Ceterum nulla hic certa est nota, vnde Synodi annum deprehendere liceat. ideo coniectura vsi sumus.

\* *Subscriptiones.* ] In antiquis exemplaribus, quæ vidimus, aut aberant subscriptiones, aut in his sola erant sine ciuitatibus nomina episcoporum. Ordinem ergo episcoporum, reiecta serie alphabetica, restituumus ex codice Bellouacensi: nomina ciuitatum retinuimus quæ in vulgatis erant, adiectis nonnullis, quæ ex proximis Synodis minime dubia videbantur. Quod vero Syagrium, qui postremo loco subscribit, Æduorum episcopum appellabant, id tamquam falsum expunximus. Syagrium enim Augustodunensem Æduorum episcopum longo post interuallo creatum fuisse, cum Germanus Parisiorum esset episcopus, constat ex Fortunato in vita sancti Germani capite 65. Quare Syagrius hic Gratianopolitanus potius videtur, qui Lugdunensi II. Concilio post duodecim annos per vicarium interfuit.



ANNO  
CHRISTI  
533.

NOTÆ SEVERINI BINII.

<sup>a</sup> *Concilium.* ] In hac Synodo Saffaracus Parisiensis episcopus iste, cuius nomen Aurelianensi quinto Concilio subscriptum reperitur, de grauissimo crimine accusatus, propriaque confessione conuictus, iure meritoque secundum sacrorum Canonum constitutiones episcopatu amarus, in monasterium detruditur, atque in eius locum, teste Aimoino, Eusebius subrogatur.

Saffaracus  
Parif. episc.  
depositus.

<sup>b</sup> *Parifense.* ] De vrbe Parisiorum ex reuerendi domini Georgii Braunii theatro vrbium hæc summatim desumpsimus. *Lutetia vulgo Paris, ad fluum Sequanam sita, caput est totius Gallia, sedes regia, frequens & populosa, vna ex maximis totius Europa.*

Parifensis  
vrbis breuis  
descriptio.

*In hac vrbe florent omnes scientia. Collegium habet Sorbonicum, in quo theologia præ omnibus aliis locis viget. Continet parlamentum totius mundi celeberrimum, in quatuor cameras distinctum, quarum prima habet quatuor præfides & triginta consiliarios: secunda totidem præfides, & octodecim consiliarios; & sic de aliis. Sumpsit nomen a luto. Nomen autem Parisiorum a Paride filio Priami regis Troia, qui civitatem hanc adificare cepit, deductum videtur. Postea aucta est a Iulio Cesare, vnde & Iulia vocatur. Vniuersitas erecta est a Carolo magno anno 791. Hæc ex Braunii theatro. Abrahamus Ortelius in suo theatro geographico, Lucotecia, inquit, Parisiorum vrbis est in Gallia, quam Cesar & Marcellinus Lutetiam vocant. Primaria vrbis regni est, amplitudine & ciuium frequentia excellens. Regia sede, academia & emporio gaudet. Ab Ysio quodam conditam, & Parysium dictam nugatur Sigebertus Gemblacensis. Hæc Ortelius.*

<sup>c</sup> *Secundum.* ] Anterioribus editionibus hanc Synodum Parisiensi tertiæ postpositam inuenies; ego illi anteposendam esse putavi, ideo quod Germanus, post Saffaracum secundus Parisiensis episcopus, posteriori Concilio Parisiensi interfuisse & subscripsisse inueniatur, quodque ex actis huius Synodi necessario colligatur, hanc aliquot annis celebratam fuisse ante illam quæ infra sub Ioanne collocatur. Si enim tempore Concilii Parisiensis tertii, eidem ecclesiæ Parisiensi præsidebat Germanus episcopus, qui post Eusebium Saffaraco successerat, inconuenienter admodum hoc Concilium, quo Saffaracus episcopatu amarus fuit, illi, in quo præsens erat Germanus Saffaraci successor, hætenus postpositum fuit. Aurelianensi quinto Concilio hanc Synodum tempore posteriorem fuisse, aperte testantur ipsa acta Concilii, quibus Aurelianensis quintæ Synodi expressa mentio reperitur.

<sup>d</sup> *In causa Saffaraci.* ] Vide quæ dixi supra verbo Concilium.

<sup>e</sup> *Pelagii pape I.* ] Hanc Synodum ad tempora Pelagii primi referendam esse opinor, ideo quod Aurelianensi quinto posterior, & Parisiensi tertio prior, cum Pelagii temporibus coinciderit. Nam Aurelianensis quinta Synodus celebrata fuit circa finem Vigilii: Parisiensis tertia habita est initio pontificatus Ioannis tertii, vt infra patebit. Vnde necessario infertur hanc Parisiensem secundam ad

Tempus  
Concilii.



tempora Pelagii primi referendam esse. Quoto anno Pelagii prae-  
cise habita fuerit, nullo certo indicio constare potest. Vide Baron.  
anno 559. num. 16.

ANNO  
CHRISTI  
559.

<sup>f</sup> Sabaudus. ] Plures epistolas Pelagii ad hunc scriptas supra in-  
seruimus ex codice Arelatenfi. In Concilio Matisconensi secundo, cui  
subscripsisse legitur, nominatur Sabaudius, qui hic Sabaudus, ali-  
bi Sapaudus appellatur. De aliorum subscriptorum plurium nomi-  
bus supra dixi plura in notis Conciliorum Aurelianensium & Aruer-  
nensis. Et quod ibi de ordine subscribentium dictum est, idem hic  
sentiendum esse scias.

CONCILIVM PARISIENSE<sup>b</sup> III.

ANNO  
CHRISTI  
557.

PRO VARIIS DIVERSARVM ECCLESIA RV M  
VTILITATIBVS CELEBRATVM, CIRCA  
annum Christi DLVII. \* Pelagii papæ III. Childeberti  
regis XLVI.

\* Idem  
papa III.  
tempore,  
et ante  
Zeno.

TITVLI CANONVM.

- |  |  |
|--|--|
| I. Nemo res ecclesiarum peruadat,<br>aut competat, aut retineat.                         | VI. Nullus res alienas, nullus vi-<br>duam vel filiam aliterius com-<br>petat, aut rapiat. |
| II. Nemo res episcopi proprias per-<br>uadere, competere, aut confi-<br>scare praesumat. | VII. Nemo excommunicatus ab<br>aliis colligatur.   |
| III. Ne episcopus alterius episcopi<br>res competat, aut retineat.                       | VIII. De ordinatione episcopo-<br>rum.   |
| IV. De illicitis & incestis coniun-<br>ctionibus.  | IX. De famulatu & ministerio<br>seruorum degenerum.  |
| V. Ne quis sacratas virgines, aut<br>religionem professas rapiat, vel<br>competat.       | X. Vt Canones hi ab episcopis ab-<br>sentibus, quibus oblatis fuerint,<br>subscribantur.   |

PRÆFATIO.

**A**DMONET pontifices temporum qualitas, & impro-  
bæ necessitatis præcauenda conditio, vt non solum  
rerum præsentium, sed & futurorum quoque utilitas  
congrua prouisione tractetur: quatenus quos custodiæ  
ordinatio, ac pro amore diuino sollicitudinis cura con-  
stringit, & præuidisse sequentia, & opportune vigilasse  
probentur. Et quia sibi sacerdotes in hoc maxime consu-  
lunt, si importunorum voluntatibus obuiasse noscantur;  
coniuncti in vnum, Christo opitulante, Parisius pro v-